


**A** verò plus aliquid etiam, quam ipsi sensus. Ergo potest aliquis dormire, imaginari, & ratiocinari. Dormire verò, & simul moueri, surgere, ambulare quis potest? An id fit, quòd diuersæ sint facultates? quas simul quiescere per vnius affectione necessariū non est: itaque cum somnus sit sensuum vinculum, & ocium, quid prohibet motum exerceri? ad quem hæc affectio non pertinet. Verùm hanc rationem id refellit, quod antea ostendimus, somnum fieri non ob ipsius sensificæ facultatis, aut sensuum particularium propriam affectionem, sed quia deest calor à corde influens, cuius vim cum motus maiorē requirat, quàm sensus, quo pacto posset in eadem parte, relicto vnius facultatis munere, alterius actionem obire? putauit aliquando, non omnes partes corporis, dormiendo moueri, sed solum illas, quæ à spinali medulla nervos sumunt, excepto septo transuerso, quod (ut antea ostendimus) ob naturæ promptitudinem, suum motum seruat. Item sentiendi vim semper ab ipso cerebro influere, mouendi verò insitam quoque esse spinali medullæ. Itaque seruari motum in partibus, quæ à spinali medulla nervos capiunt: sensum verò in vniuerso corpore cessare, quoniam deest cerebro calidum influens ob distantiam partium, à quibus ille oritur: spinalem enim medulla ad nervos motorios producendos à natura comparatam esse, meritoque vim motricem insitam habere: quam exercere quidem possit, eo quòd non multum distet à corde, ita vt caloris contracti particeps facile euadat, sicut ventriculus, hepatis, quæ per somnum suas functiones felicissimè ministrant: tanquam calor, qui deserit cerebrum, & contrahitur, vniuersus in corde nequaquam concludatur, sed etiam in visceribus vicinis versetur. sed quoniam nulla euidenti ratione probare possum, mouendi vim insitam esse spinali medullæ, & oculorum palpebræ & aliæ & quædam partes in facie, quæ nervos à cerebro suscipiunt, dormientibus mouentur, ab hac sententia recedere sum coactus: quæmobrem dicam nunc, quod mihi occurrit, donec meliora inueniantur, motum nequaquam fieri dormientibus, nisi per insomnia, quo fit, ut motiua vis ab imaginatrice, aut alia facultate, quæ somniorum est causa, commota, agat, ut mirum non sit sensus à nulla re incitatos ocium, motum verò exerceri, nimirum quem impellat vis, quæ ei præest, & calorem natiuum ad se tractum, ad solum motum efficiendum conuertere potest. Nam ut in uentriculo non semper agit expultrix facultas, etiam si adest illi influens calor, ita absurdum nō est credere, quiescere posse sensus, vbi aliæ facultates calorem ad se trahunt, quo modo uidemus eos, qui attentius aliquid cogitant, etsi multa ob oculos uersantur, tamen non uidere, non audire illa, quæ alioqui auditum afficere sunt apta, etsi interim in uniuerso capite abundat calidum influens, quod quidem argumento est, calorem huiusmodi non conferre, aut non sufficere ad actionem, si aliqua facultas uniuersam illius vim occupet: aut expediat aliam facultatem quiescere. Igitur quiescunt tunc sensus, & motus fit, quia caloris vis ab imaginatrice facultate, aut voluntate, aut alia quæ motrici imperat, ad motum efficiendum cōuertitur, intacta interim sensitua, quæ insomnijs nequaquam parere est nata: sed (vt dixi) fortè meliora aliquando in hac re dabimus.

## De causis differentiarum Somni præter naturam. Cap. XXII.

**D**  **V**NT multæ differentie soporum, quæ quidem ex diuersis causis nascuntur: de quibus postulante ita tractatione, quæ summis generibus contenta nequaquam esse debet, sed ab illis (authore Platone) ad infimas vsque species progredi, hoc loco à nobis est agendum. Ac ne alicuius differentie causæ omittantur, operæ precium esse duco primum paucis docere, quot, & quales illæ sint: præsertim quòd sparsim illæ sint ab authoribus nostris traditæ, nam quum in sopore lædantur omnes sensationes, ob commune malum, postulat utique tractatio, vt explicetur quale vitium sit, quod tunc in sensibus committitur, an scilicet debilitentur, aut augeantur, vel deprauentur, aut aboleantur, aut cum molestia, & dolore sensationes exerceantur. His enim modis functiones corporis labefactari solere, alibi ostendimus: vt merito quod quærendum sit, an in ea facultate, quæ somni est causa, vniuersæ huiusmodi noxæ, vel quædam duntaxat reperiatur: quod quidem (vt diximus) maiores nostri, nequaquam docuerunt, dum apoplexiæ, lethargi, comatis, & aliorum soporosorum affectuum sigillatim mentionem faciunt: nec interim docent, an ad idem actionis vitium hæc pertineant, & an ab vno, & eodem fonte, vel à diuersis singula ducantur: & illud etiam omittunt, quid illa proprium, aut commune cum alijs obtineant. Ac ego quidem puto, nullam esse tractationem in vniuersa medicina hac ipsa negligētius hæctenus scriptam: quam alibi nos pro viribus elaborauimus, & nunc ex illis locis repetemus, quantum institutum nostrum postulet, ne in opere, quod commune omnibus philosophiæ studiosis esse volumus, medicinam docere velle videamur, qua quidem in re paulo altius sumam principium, vt ex communissimis particularium ratio constet. Læduntur sensus aliquando uniuersi, aliquando vnus duntaxat, vel plures, sed non omnes particulares læsiones sensuum ostendit cæcitas, surditas, stupor, paralytis, dolor, & alia symptomata, quæ circa aliquem ex quinque sensibus nascuntur: de quibus suo loco est agendum: labefactantur verò omnes sensus per soporosos affectus, laborante, aut aliquo modo affecta ea facultate, quæ in sensoria omnia spargitur: siue id ex sui ratione, siue potius ex calidi influētis defectu, suam vim